



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VI. De vita & honestate clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

V I.

Quamuis honestas morum & habitus decentia omnibus clericis per sacros ordines sint indictæ, in prælatis tamen, archiepiscopis videlicet & episcopis eo desiderantur amplius, quo ex suscepτæ dignitatis debito in seipsis debent ostendere, qualiter alios fideles deceat in domo Domini conuersari. Volentes igitur ut prælati prædicti in conuersatione, habitu & vestitu aliis exemplum præbeant honestatis; statuimus ut episcopi & superiores prælati succas lineas in publico, & cum eos equitare contigerit, nullatenus tabardos, sed cappas & capellos suæ dignitati deferant congruentes, cappis aut vestibus sericis non vtantur: Missas in solennitatibus maioribus in suis ecclesiis, iuxta sanctorum patrum statuta, & nunquam secrete in capellis suis celebrent, nisi causa legitima & necessaria fuerint impediti. Altaria viatica secum portari faciant, in quibus singulis diebus coram se honeste & deuote Missam faciant celebrari. Horas canonicas cum suis clericis attente recitent, & in ecclesiis suis cathedralibus diuina officia solenniter celebrent, nisi legitime fuerint impediti.

Cum non solum a malo, sed etiam a mali specie, & præcipue quæ scandali occasionem ministrant, sit secundum Apostolum abstinentum, statuimus sacro approbante Concilio, ut nullus clericus sacerdotalis vel religiosus in quacumque dignitate vel officio constitutus, exemptus vel non exceptus, etiam si pontificali præfulgeat dignitate, sponsalibus, baptismo, aut nuptiis filiorum suorum aut

Concil. Tom. 29.

K ij

filiarum , aut nepotum reēte descendantium , siue legitimi , siue illegitimi fuerint , audeat interesse : alioquin si clericus beneficiatus fuerit , ipso facto medietate fructuum beneficii vel beneficiorum suorum , illo anno quo talibus sponsalibus , baptismo aut nuptiis interfuerit , sit priuatus , prædicta medietate fructuum in vsum fabricæ ecclesiæ conuertenda . Si vero clericus non beneficiatus fuerit , vsque ad annum eo ipso sit inhabilis ad beneficium obtainendum . Qui vero de bonis ecclesiasticis , filiis aut nepotibus supradictis dotem aut donationem propter nuptias assignauerit , assignatio ipso iure non valeat , & nihilo minus assignans ipso facto in pœnam subtractionis beneficii incidat supradictam . Idem in religiosis , in militaribus exceptis penitus obseruetur . Prælati vero prædicti , qui præmissa vel aliquod præmissorum commiserint , per sex menses a collatione beneficiorum suspensi sint , & beneficia quæ medio tempore vacuerint , per eum ad quem collatio de iure vel consuetudine deuoluitur , conferantur .

VII.

Quia clericorum nonnulli famæ suæ prodigi & salutis , in concubinatu publico vitam ducunt enormiter dissolutam : Nos talium vitam corrigere , eorumque abolere infamiam cupientes , monemus omnes & singulos clericos , etiam si sint in dignitatibus , personatibus , aut officiis constituti , vt ipsorum nullus concubinam publice in domo propria vel aliena audeat detinere , sacro approbante Concilio statuentes , quod quicumque clerici post